SPRAWOZDANIE

DYREKCYI C. K. GIMNAZYUM

W BOCHNI

ZA ROK SZKOLNY

1894.

TREŚĆ:

De tempore satirae Juvenalis septimae rite constituendo scripsit V. Schmidt.
Wiadomości szkolne, skreślone przez Dyrektora.

KRAKÓW.
NAKŁADEM FUNDUSZU NAUKOWEGO.
W drukarni Wł. L. Anczyca i Spółki, pod zarządem Jana Gadowskiego.
1894.

DE TEMPORE SATIRAE JUVENALIS SEPTIMAE

rite constituendo disputatio.

Quaestio illa nobilissima de temporibus vitae ac satirarum Juvenalis constituendis etsi ingenia multorum virorum et doctrina et acumine insignium exercuit, tamen tot tenebris ac difficultatibus involuta nobis obversatur, ut nonnulli prorsus dubitent, an unquam futurum sit, ut nudam simplicemque veritatis rationem deprehendamus. Cuius rei causa prima est, quod vitarum poetae, quae exstant inde antiquitus traditae, natura ita est comparata, ut perpauca exhibeant ac ne in paucis quidem illis inter se congruant et conspirent, contra valde secum pugnent saepenumero. Sunt in manibus nunc tredecim Juvenalianarum rerum testimonia, quorum septem suae editioni inseruit Otto Jahnius [1]), omnia collecta ac edita invenies in J. Duerri dissertatione [2]), in quibus omnibus cum nihil certi traditur tum id maxime offendit, quod de rebus gravissimis aut altum obtinet silentium aut discrepantiae intercedunt, quae prohibeant veri quidquam inde colligere. Neque magis adiuvamur scholiorum locis, qui quidem ad poetae vitam spectant. Nam quae memoriae prodiderunt scholia, eandem obscuritatem atque inconstantiam prae se ferunt [3]). Apud aequales frustra quaesiveris de poeta testimonia praeter tria illa Martialis epigrammata, ubi satirici mentionem deprehendimus [4]).

[1]) D. Junii Juvenalis saturarum libri V cum scholiis veteribus, Berolini, 1851 pp. 386—390.

[2]) Das Leben Juvenals v. Julius Dürr, Gymn.-Progr. Ulm, 1888, pp. 21—26, ibidem pp. 28—30.

[3]) cf. Stracki dissertationem: „De Juvenalis exsilio, Frankfurt am Main, 1880 (Programm des Gymn. Fridericianum zu Laubach).

[4]) L. VII, c. 24 et 91; l. XII, 18. E quibus quid effici possit, infra videbimus.

Itaque in re argumentis certioribus paene omnino destituta latissimus coniectandi campus pateret criticis, nisi in carminibus ipsis invenirentur indicia, quae subsidio sunt de satirarum temporibus quaerentibus. Etsi enim plane desiderantur loci, quibus sui mentionem faciat poeta, tamen sunt quaedam temporis notae, unde nonnihil luminis nostrae quaestioni adspergitur.

Et nobis quaestionem de tempore satirae septimae rite constituendo retractaturis id imprimis propositum esse videtur, ut in satirae argumentum accurate inquiramus, numquae insint in ea indicia, unde certi quidquam de tempore, quo conscripta sit, depromi possit.

His in universum praemissis ad quaestionem propositam accedo. Satira septima, quae quasi agmen ducit satirarum libri tertii, in miserrima litterarum atque artium ingenuarum condicione describenda versatur. Incipit vero a Caesaris laudibus, in quo unico spem et rationem studiorum, quae usque ad hoc tempus neglecta iacuissent, positam esse ait poeta [1]).

Quae laudatio principis cum a reliquo satirae argumento primo aspectu absona esse videatur, exstiterunt viri docti, qui singulas nostri carminis particulas diversis temporibus exaratas esse ac postea demum parum quidem apte coagmentatas persuasum sibi haberent. Atque primum Ludovicus Friedlaenderus [2]) Müllerum [3]) secutus versus inde ab initio satirae usque ad v. 35, si minus, certe ad v. 29, qui quasi exordium sunt totius carminis, reliquae satirae iam pridem confectae sub Hadriani primordia poetam praeposuisse autumat [4]). Suspicatur enim prooemium illud cum reliquo carmine nullo vinculo quodam arctiore cohaerere, ita ut prorsus aliud in primis illis versibus aliud in reliquo satirae argumento propositum esse poetae censeat. Maxime illud eum offendit, quod cum poeta in exordio spem et rationem studiorum in Caesare tantum positam esse confirmet, non ut oportuerit, pergit, usque ad hoc videlicet tempus spe omni deiectos fuisse homines litteratos, immo quovis nexu abrupto poetarum, rerum scriptorum, causidicorum, rhetorum, grammaticorum statum miserrimum ut etiamtum praesentem ac permanentem describit. Quam, ut dicit, rei perturbationem ne nostro quidem poetae, quem persaepe in

---

1) sat. VII. v. 1 sqq, 17 sqq.

2) v. Sittengeschichte Roms t. III^5 p. 461 sq., cf. dissert. de Juvenalis vitae temporibus, Regimonti Prussorum, 1875 p. 4.

3) Cuius librum non inspexi; opinionem, quam in eo protulit, tradit Hermannus in disp. quae inscribitur: „de Juvenalis satirae septimae temporibus", 1843, Gottingae, p. 19.

4) Eandem opinionem tuetur Mart. Schanz, Geschichte der römischen Litteratur, München, 1892 p. 343.

carminibus componendis artem ac rationem, qua se singulae partes excipiant, neglegere constet, indulgeri posse putat ideoque temporum feliciorum quae novo imperio invaluerant, mentionem vel levissimam in extremo carmine desiderat. At si verba satirae, quae laudes Caesaris continent, accurate perpenderimus, Friedlaenderi opinionem a vero recedere facile videbimus.

Quum enim poeta principem solum tristes Camenas respexisse dicat eumque solum benignum litterarum fautorem praedicet, recte tutori illi poetarum cives nobilissimos ac locupletissimos opponit[1]), qui minime solliciti de condicione litterarum poetas miserrimam vitam agere patiantur. Ita initium satirae cum reliquo carminis argumento arctissime cohaerere duco. Descriptionem temporum feliciorum, quam desiderat Friedlaenderus, haud exspectamus, cum spem tantum proponat poeta, non mutatam iam rerum temporumque condicionem. Itaque minime mirari debes, poetam his laudibus in principem collatis statim ad statum miserrimum studiorum accurate depingendum transire, quae est carminis argumenti summa. Quin etiam puto hac vividissima imagine Juvenalem id egisse, ut principis benignitatem eo magis incitaret „materiamque indulgentiae" eius quasi subministraret. Deinde id offensionis ansam praebet Friedlaendero, quod in reliquo carmine omnium promiscue, qui litterarum studiis incumbunt ac in rebus seriis elaborant, misera condicio describitur, non ita in exordio, ubi ad poetas tantummodo sese convertit Juvenalis eosque incitat in spem magnam indulgentiae ac tutelae principis venire, de reliquis quidem altum agens silentium[2]). Tamen quid credi potest facilius quam poetam de poetis imprimis cogitare eorumque rebus imprimis consuli cupere?[3]). Neque magis haerere oportet in repetitione illa, ad quam provocat idem vir doctus, inde a v. 37 usque ad v. 97, quibus poeta abunde accurateque idem enarrat, quod in exordio a v. 3 ad v. 16. breviter tantum atque obiter denotavit. Est ea repetitio neque molesta neque a poesis Juvenalianae indole aliena, quia saepius apud Juvenalem eaedem imagines repetuntur in uno eodemque carmine. Cuius rei exemplum luculentissimum praebet satira prima. Nam vv. inde a 22 usque ad 80 satirae primae, ubi depravatos hominum mo-

---

[1]) Inde a v. 22: „Si qua aliunde putas rerum exspectanda tuarum Praetidia . . . . .

[2]) Voce „studia" et v. sat. nostrae primo et decimo sexto de poeticis tansummodo studiis usum esse poetam e sensu et nexu utriusque loci confici posse facile concedo Friedlaendero. Nam utroque loco verbis expressis de poetis dicitur.

[3]) cf. Rittwegeri dissertationem, cui inscribitur: „Die Verbannung Juvenals und die Abfasssungszeit seiner 7. Satire" Gymn. Progr. Bochum 1886, p. 12 sq.

res castigat poeta, in eadem materia versantur, quam deinceps vv. a 81 usque ad 147 fuse lateque enarratam legimus. Cum igitur Friedlaenderi opinio scilicet satirae exordium a reliquo carmine longinquiore temporis spatio seiungendum esse firmis argumentis omnino careat, equidem asseverare non dubito, poetam, cum satiram componeret, statim exordium illud ei praemisisse, non postea demum, cum carmen iterum edendum curaret, adiecisse.

At alii, ut Ribbeckius [1]), quem nuperrime secutus est Duerrius [2]) de versibus 90—92 satirae nostrae iam pridem exaratae Hadriani demum temporibus, cum iterum carmen in publicum emitteret, insertis somniaverunt. Quam virorum doctorum suspicionem infirmare ac prorsus refutare contigit Vahleno [3]). Hic enim versus 88—92, ubi de Paride honores amplissimos largiente sermo est, de integro accurate perscrutatus evicit eos cum inter se aptissime cohaerere, tum maxime cum iis, quae antecedunt quaeque eos excipiunt coagmentatos esse [4]). Inde minime consentaneum esse de versibus illis posteriore demum tempore a poeta satirae insertis cogitare recte colligit. Deinde iure contendit idem vir doctus e vitarum [5]) verbis:.... „ut ea, quae prima fecerat, inferciret novis scriptis" nihil aliud confici posse nisi Juvenalem versus, quos Domitiani temporibus in Paridem iactasset, posthac, cum satiram septimam componeret, adhibuisse. Hic e re esse videtur de duplici illa satirarum recensione ab ipso poeta instituta, quam quidem nonnulli viri docti amplexi sunt, pauca in universum proferre. Atque opinionem eam primus protulit O. Muellerus [6]), inter recentiores praeter Friedlaenderum [7]), cuius vestigiis fidissime nuper

---

[1]) In libro, qui inscribitur: Der echte und unechte Juvenal, Berolini, 1865, p. 70. cf. praef. ed., Lipsiae, 1859, p. XII.

[2]) Dissert. laud. p. 18.

[3]) Cuius exstat dissertatiuncula „Juvenal und Paris" inscripta (in Sitzungsberichte der preuss. Akademie der Wissenschaften zu Berlin, t. 83 pp. 1175—1192.

[4]) Horum versuum 88, 89 Ribbeckius in libro saepius laudato: „Der echte u. unechte Juv." p. 130 tamquam valde ineptos ac loco nostro parum convenientes reiciendos putat. Tamen iniuste eum censere evidenter demostravit Vahlenus diss. laud. p. 1178—1182, qui quidem cohaerentiam ac nexum mutuum horum versuum planum fecit. Namque priore versu (88) in universum de honoribus a Paride condonatis, altero vero specialiter de semestri tribunatu dicere poetam declaravit. Penitus in hanc rem inquirere atque argumenta, quae in medium prolata sunt ab utroque, citare vetant angusti nostrae dissertationis termini.

[5]) Vitae Probianae quae dicitur; cf. vitam V, VI (v. Jahn. ed. Juv. p. 388 sq.).

[6]) In libro quem inscripsit: „Quam curam respublica apud Graecos et Romanos litteris doctrinisque et colendis et promovendis impenderit". Gott. 1837, quem librum adeundi facultatem non habui. citavi e Hermanni disp. laud. p. 18.

[7]) l. s. cit.

ingressus est Duerrius [1]), suam fecerunt Teuffelius [2]), cui quidem redintegrati operis suspicionem maxime satirae prima et quarta iniecerant, Ribbeckius, qui haec profert [3]): „Alteram autem vel integri corporis vel satirae septimae editionem paravisse videtur poeta circa a. 135, qua quidem famosos illos versus septimae 81—83 (in vel. edd. 90—92) quasi postliminio revocaverit". Equidem contra eorum virorum auctoritatem cum Stampinio [4]), Naguievio [5]) nullam causam invenio, cur res Juvenalianae duplici satirarum recensione declarentur. Nam ingenii Juvenalis naturam eam esse e singulis satiris facile perspici potest, ut certum ordinem et accuratam disponendi rationem contemnat. Quo fit, ut passim inveniantur loci, quos carmini iam pridem confecto parum apte insertos esse crederes primo aspectu. Tum aptissime ad persuadendum de hac re ita disputavit Stampinius [6]): „Quod si passim quibusdam satirarum locis molestae repetitiones occurrunt, eas tamen a Juvenalis ingenio minime abhorrere iudicabit, qui poetam consideret multum in declamationibus versatum sibi temperare non potuisse, quin tumidum et luxurians scribendi genus saepe usurparet". Itaque locos illos in satiris repetitos alterius recensionis vestigia non esse pro certo habeo.

Neque extrinsecus suppetunt documenta, quae illam opinionem fovere videantur. Nam si Duerrius, quem nuper Friedlaenderi opinioni patronum exstitisse supra commemoravimus, subsidio vocat Kulenkampianae verba: „in exsilio ampliavit satiras et pleraque mutavit" atque adeo certissimum inde depromit testimonium ad sententiam de duplici satirarum recensione confirmandam, tantum abest, ut ei in hac re occinamus, ut etiam prorsus aliter res se habere nobis videatur. Qui enim nulla sententia praesumpta illius vitae narrationem perpenderabit, quae modo citavimus verba, nil nisi ratiocinationum vitae scriptoris eventum esse atque ex ingenio arrepta facile nobis concedet. Quum enim semel credidisset ac statuisset poetam extremis Domitiani temporibus in exsilium missum neque deinde a posterioribus imperatoribus revocatum usque ad mortem procul a patria vitam degisse, quod quidem merum commentum est testimonio Martialis [7]) clarissimo

---

[1]) l. laud. p. 18.

[2]) in libro: „Studien und Charakteristiken, II Aufl. 1889, pp. 549—560.

[3]) ed. laud. praef. p. XII.

[4]) in disput. quae scripta est de D. J. Juven. vita, Aug. Taurin. 1881 p. 449.

[5]) in dissert.: „De Juvenalis vita observationes", Rigae, 1883, p. 18, 19.

[6]) l. modo cit.

[7]) l. XII epigr. 18, quod scripsit auctor ad Juvenalem velut tum Romae morantem. Scriptus et editus est autem hic liber epigrammatum a. p. Chr. n. 101. Iure igitur hoc epigramma pro documento haberi potest, poetam post Domitianum mortuum Romae commoratum esse.

vehementer repugnans, nonne eum etiam satiras a poeta in exsilio exaratas ac perpolitas fuisse statuere necesse erat? Nisi forte credis adeo prorsus rei ignarum fuisse vitae auctorem, ut satiras a poeta maximam partem iam Domitiano imperante elucubratas fuisse sibi persuasum haberet, indiciorum quidem temporis, quae exstant in carminibus, prorsus oblitus.

Ex dictis apparet opinionem illam de duplici satirarum recensione ab ipso poeta instituta neque indiciis e satiris depromptis neque argumentis extrinsecus sumptis satis probatam esse. De hac re satis dictum.

Iam quum viri docti de singulis satirae nostrae partibus diverso tempore compositis persuasionem nobis inicere nequeant neque quidquam in carmine exstet, quod operis redintegrati suspicionem moveat, satiram totam uno tenore compositam ac conscriptam esse credere nullus erubesco. Hoc assecuti accedimus ad tempus, quo poeta satiram septimam conscripserit ac ediderit, definiendum.

Ac si in satirae nostrae argumentum inquirimus, tempora Domitiani artium liberalium studiosis valde iniqua facile agnoscimus. Quod nobis maxime probatur Statii [1]) et Quintiliani [2]) mentione. Statium enim poetam, cuius Thebaidos recitationem ut rem nuper actam et omnibus notam commemorat Juvenalis v. 82 sqq. Domitiani aetate vixisse eodemque fere tempore, quo principem, e vita migrasse constat [3]). Thebais autem composita ac publici iuris facta esse videtur, quoad colligi potest, circa a 92 [4]), tribus vero annis post publice recitatam benigne exceptam esse ab aequalibus ipse auctor tradit [5]).

Neque Quintilianum rhetorem illum clarissimum, qui versu nostrae satirae 188 sq. pro rarissimo locupletati rhetoris exemplo inducitur, Domitiano diu supervixisse, immo potius simul cum Domitiano fato concessisse demonstrat Roth [6]). Exstat quidem Plini epistola [7]) ad Quintilianum quendam, modicum facultatibus, cui quinquaginta milia nummum in dotem filiae nupturae se collaturum promittit, primis quidem Traiani imperii annis, ut reliquae eiusdem auctoris epistolae, missa. Tamen hunc Plini amicum nomine tantum tenus cum rhetore convenire iam Spaldingius, Muellerus viderunt, argumentis firmissimis evicit Hermannus [8]), quorum id unum afferre sufficiet, Quintilianum rhetorem, qui iam a Vespasiano stipendium publice constitutum accepisset postque viginti annos honesta missione impetrata

---

[1]) vv. 82—87. [2]) v. 188 sqq. [3]) v. Schanz, Gesch. d. röm. Litteratur p. 325. [4]) v. Schanz, G. röm. Litt. p. 318. [5]) Silv. 4, 4, 87. [6]) praef. edit. Suetoni, Lipsiae 1858 p. LXXVII, cf. Schanz, Röm. Litt. p. 438. [7]) l. VI ep. 32. [8]) diss. laud. p. 17 sq.

insignibus consularibus ornatus esset, pauperem mansisse usque ad Traiani imperium vix credi posse.

Quibus nominibus accedunt duo in satira nostra commemorata, quae ad Domitiani aetatem referenda videntur. V. enim 129 Mathonem causidicum inducit, qui rem suam sub Domitiano decoxit neque multis annis huic imperatori superstes fuit.[1]); item aurigae Lacertae mentio fit v. 114 quem eodem tempore notum fuisse traditum est a vetere scholiasta [2]).

Quae omnia opinionem tueri cogunt poetam ad satiram nostram exarandam Domitiani temporum memoria nondum oblitterata accessisse.

At nos notam quandam temporis firmam querentes haerere necesse est statim in initio satirae, ubi de principe tunc temporis imperante haec scripta legimus:

„Et spes et ratio studiorum in Caesare tantum:
Solus enim tristes hac tempestate Camenas
Respexit, . . .

et infra v. 17 sqq.:

„Nemo tamen studiis indignum ferre laborem
Cogetur posthac, nectit quicumque canoris
Eloquium vocale modis laurumque momordit.
Hoc agite, o iuvenes! circumspicit et stimulat vos
Materiamque sibi ducis indulgentia quaerit“.

Quas ibi laudes poeta in principem cumulat, sinceras et minime affectatas esse primo obtutu quivis concedet. Neque persuasit nobis Hermannus [3]), laudes illas satis modicas esse et ut Graeci aiunt, τοῦ ἀφοσιοῦσθαι ἕνεκα praemissas, ne communi omnium reprehensione Caesarem quoque, cuius laedendi causas procul habebat, complecti videretur. Recte enim monet Strackius [4]), panegyricum non esse satiram, quae in transcursu tantum atque obiter, ut dissimilitudinum coniunctio evadat, eis laudes tribuere soleat, qui optime mereantur.

Quomodo igitur explicari debent laudes illae in principem collatae? Nobis quidem proclivis videtur suspicio, poetae novo principe imperium capessente prorsus iam mutatam rerum temporumque condicionem ob oculos versatam esse et ideo in spem summam litterarum instaurandarum venisse poetam.

---

[1]) v. Naguievi disput. cit. p. 20.

[2]) apud Jahnium p. 283: „russatus Lacerta sub Domitiano auriga fuit, ut Probus ait“.

[3]) disp. laud. p. 19. [4]) diss. laud. p. 28.

Quo factum est, ut satirae, quam in miserrimo litterarum atque artium ingenuarum statu describendo totam fere esse videmus, has principis laudes praemitteret.

Mitto Schmidti [1]) sententiam laudes illas cavillatorias esse nec nisi irrideri principem a poeta censentis, cui nemo facile, ne dicam, iure adstipulabitur. Iam quaeritur, quis sit Caesar ille, in quo unico poeta spem et rationem ponit studiorum. Atque primum Neronis mentio, quam in scholiis [2]) deprehendimus, scholiastae inscitia ac temeritate facta esse nobis videtur, ad quam adductus est cum ea re, quod Neronem nonnihil litteras fovisse ac honestasse atque adeo ipsum operam aliquam iis impendisse compertum habuit, tum maxime, ut recte animadvertit Hermannus [3]), Paridis mentione in eodem carmine occurrente [4]), cuius cognominem in Neronis aula magna usum esse auctoritate cognovit ex antiquitate. Cuius scholiastae erroris ne mentionem quidem facerem, nisi nostra etiam aetate prodiisset, qui universam satiram sub Nerone scriptam esse arbitraretur [5]). Eaedem temporum rationes, quae Neronem non admittunt, etiam Titum imperatorem poetae nostro quidem loco obversatum esse suspicari prohibent, quem amplexus est Schurzfleischius [6]). Aeque inepta videtur antiquiorum criticorum [7]) opinio, qui quidem de Domitiano in satirae principio a poeta laudibus exornato somniaverunt. Ut enim laudes illas cavillatorias esse haud concedendum putavi Schmidtio, ita etiam serio adulari Domitiano Juvenalem recte conici posse negaverim. Nam quaero, possitne iure credi, Juvenalem, quem cum summa indignatione cuncta vitia ac flagitia perstringere videamus, ad foedissimas blanditias erga principem descendisse, quem litterarum studiis magis nocuisse quam favisse constet. Traditur enim Domitianus a Suetonio (cap. 20) iam ab initio imperii studia liberalia neglexisse neque aut historiae aut carminibus cognoscendis operam ullam impendisse [8]). Neque ludos illos Capitolinos et Quinquatria Minervae, quibus quidem institutis studia litterarum promovenda curasse videtur princeps [9]), confugium exstitisse ingeniis praestantissimis affirmaverim. Nam inde antiquitus de studiorum incremento sub Domitiano prorsus nihil au-

---

[1]) D. Junii Juvenalis satirarum delectus, Bielefeld, 1835, quem librum non inspexi; sententiam auctoris e Hermanni disputatione novi.

[2]) ad sat. VII. vv. 1, 2, 20. [3]) dissert. cit. p. 3. [4]) vv. 88—92.

[5]) Scriptor anonymus libelli qui inscribitur: Kritische Bemerkungen über einige Nachrichten aus dem Leben Juvenals, Ratisbonae 1833, p. 44.

[6]) Spicilegium animadverss. in Iuv. satiras, Vinariae 1717, p. 90.

[7]) Mancinelli, Ascensii (v. Herm. l. laud. p. 5).

[8]) cf. Imhofi librum qui inscribitur: Titus Flavius Domitianus, ein Beitrag zur Gesch. der röm. Kaiserzeit, Hallae, 1857, p. 136 sq.

[9]) teste Suetonio, vita Dom. cap. 4.

dimus neque id principis merito factum est, si duorum poetarum praestantissimorum fama insignia sunt illius principis tempora, quorum alterius condicionem miseram e nostro carmine cognoscimus, alterum aulae favorem et indulgentiam blanditiis foedissimis redemisse constat. Quae omnia cui non satis idonea videntur ad somnia illa de Domitiano refutanda, conferat, quod Hermannus [1]) profert: „sin Capitolinis ludis et Quinquatriis Minervae ab illo institutis tantum tribuamus, ut Juvenalis illa exspectatio tum excusationem habuisse videatur, certe non consentaneum erat tantas hunc laudes integras servare, postquam magnus ille hiatus irritus cecidit caesoque Domitiano damnari potius quam praedicari eius memoria coepta est".

Quid quod in satira nostra tota fere Domitiani aetas ut praeterita describitur, laudes vero illae in principio satirae positae, si utique Domitiani temporibus, certe primordiis imperii exaratae sint necesse est.

Haec omnem de Domitiano disceptationem excludunt.

Valde tamen errarunt, qui protinus Nervam a Juvenale significatum esse existimaverunt. Quam sententiam multis ante annis a Calderino [2]), deinde a Petro Crinito [3]) prolatam suam fecit nostro saeculo Casp. Barthius [4]). At de Nerva non aliter ac de prioribus imperatoribus sentiendum nobis videtur. Recte enim omnes recentiores, quos quidem noverim, critici obiecerunt Nervam breviore imperio usum esse, quam ut ad litteras amplissimis honoribus exornandas animum adpellere posset. Adde illam animi corporisque imbecillitatem septuagenarii senis, qui ne id quidem profecit, ut pessimum illud delatorum genus Domitiano principi superstitum cohiberet atque a latere suo removeret. Ceterum nihil nobis scriptores antiqui de studiorum liberalium sub Nerva imperatore incremento tradunt. Cave enim nimium tribuas Taciti testimonio, qui quidem scriptor modice et parce Nerva laudato Traiani aetate felicitatem temporum in dies auctam esse prodit. Sunt autem haec in Agricolae cap. III. dicta: „Nunc demum redit animus et quamquam primo statim beatissimi saeculi ortu Nerva Caesar res olim dissociabiles miscuerit, principatum ac libertatem augeatque quotidie felicitatem temporum Nerva Traianus..." Plinius autem conceptissimis verbis Traiani demum temporibus litte-

---

[1]) diss. laud. p. 5.

[2]) in Veneta Juvenalis editione, 1475, ubi haec legimus scripta: „haec satira civium avaritiam notat, qui poetis nihil dabant, cum tamen princeps contigisset, qui studiis favebat, Nerva, ex cuius principatu poetis Martialis quoque congratulatur (l. XII epigr. 6)...." (v. Herm. disp. cit. p. 4 adn. 17).

[3]) De poetis latinis, Parisiis, 1518 l. IV, p. 106.

[4]) Scripsit: Observationes ad D. Junii Juvenalis scholia vetera, Vesaliae, 1827, p. 39, quem librum tantum e Stampini diss. laud. p. 444 sq. novi.

ras ingenuasque artes in pristinam dignitatem restitutas fuisse testatur [1]). Atque haec sunt eius verba:

„Ut sub te spiritum et sanguinem et patriam receperunt studia! quae priorum temporum immanitas exsiliis puniebat, quum sibi vitiorum omnium conscius princeps inimicas vitiis artes non odio magis, quam reverentia, relegaret, at tu easdem artes in complexu, oculis, auribus habes". Quo in testimonio id cuivis imprimis in oculos incurrere necesse est, quod Nervae, qui princeps Domitiano successit, ne mentionem quidem facit scriptor. Cuius reticentiae nullam aliam causam video, quam quod Nerva imperator ad studia litterarum adiuvanda aut nihil aut non multum contulit. Haud recte denique Barthius Martialis epigrammate [2]) nititur, cuius in initio hi duo versus leguntur:

„Contigit Ausoniae procerum mitissimus aulae
Nerva. licet toto nunc Helicone frui".

At librum duodecimum epigramatum primordiis demum Traiani compositum esse argumentis evicit Friedlaenderus [3]) ideoque a vero non prorsus abhorrere videtur quod suspicatur Stampinius [4]), Traianum a Nerva cooptatum, quem et ipsum Nervam Traianum appellatum esse constat, nostro loco innui a poeta. Tamen etsi utique hos versus ad Nervam spectare censes, haud tanti faciendae sunt laudes illae, quibus passim etiam Domitianus a Martiale extollitur.

Atque protinus progredientes, cum virorum doctissimorum nostri aevi sententias inter Traianum ac successorem eius fluctuare videamus [5]), plura sunt, quae in Traiano acquiescere cogant, contra nulla

---

[1]) Panegyr. 47, 1, 2. [2]) l. XII, 6.

[3]) M. Valerii Martialis epigrammaton libri. Mit erkl. Anmerkk., Lipsiae, 1886, praef. pp. 65—67.

[4]) de vita Juvenalis, p. 444.

[5]) Ut mittam multos priorum temporum Juvenalianarum satirarum editores, quos apud Hermannum (diss. laud. p. 4 adn. 17 sq) enumeratos invenies, Traianum amplexi sunt quos quidem noverim inde a Hermanno (l. cit. pp. 17—20; cf. praef. ed. satir., Lipsiae, 1883). Synnerbergius (De temporibus vitae carminumque D. Junii Juv. rite constituendis, Helsingfors 1866, pp. 73—76), Teuffelius (Jahrbb. für Philologie t. 43, 1845 p. 112) Weberus (Die Satiren des D. I. Juv. übersetzt u. erl. Halle, 1838, p 228, 435), Ribbeckius (v. praef. ed. laud. p. X.: cf. librum: Der echte u. unechte Juv., p. 70), Sieboldius (Satiren d. Juv. mit Übers. u. Erl., Lipsiae 1858, Einl. p. XVII), Widalius (Iuvenal et ses satires, études littéraires et morales II ed. 1870, Paris, p. 165 sq.), Naguievius, l. c. p. 19, Rittwegerus (op. cit. pp. 11—18) Stampinius (op. laud. pp. 445—451) alii. — Contra in Hadrianum laudes illas a poeta cumulatas esse, Heinrichium (D. J. Juv. satirae cum comm. Bonnae, 1839, vol. I., 68) secutus alte persuasum sibi habet Friedlaenderus (diss. laud. p. 4), cuius opinioni quantum scio praeter Duerrium (diss. laud. p. 18) nuperrime accessit Schanz op. cit.

fere exstant argumenta gravioris quidem momenti, quibus ad Hadrianum deducamur.

Nam primum, id quod iam supra demonstravimus, argumentum totius satirae in Domitiani temporibus illustrandis versatur. Adde quod v. satirae nostrae 191 sq.:

„Si Fortuna volet, fies de rhetore consul:
„Si volet haec eadem, fies de consule rhetor.

respici videtur Valerius Licinianus, qui a Domitiano exsul factus Nervae clementia in Siciliam translatus erat, ubi Traiano imperante profitebatur [1]). De hoc enim Valerio Liciniano legimus in Plini epistola [2]): „Audistine Valerium Licinianum in Sicilia profiteri? Praetorius hic modo inter eloquentissimos causarum actores habebatur, nunc eo decidit, ut exsul de senatore, rhetor de oratore fieret. Itaque ipse in praefatione dixit dolenter et graviter: „Quos tibi Fortuna ludos facis! facis enim ex professoribus senatores, ex senatoribus professores“ [3]).

His internis, quae dicuntur, argumentis, i. e. e satira ipsa depromptis accedunt rationes externae eaeque gravissimi momenti. Primum nemo, credo, sibi recte persuadebit, Hadrianum tamquam solum, qui litterarum, quae usque ad hoc tempus neglectae contemptaeque iacuissent, praesidem sese praebuerit, laudari a poeta Traiani aetatis felicissimae prorsus oblito. Equidem enim etsi iis, qui de Hadriano utique sentiunt, hunc principem omnibus litteris perpolitum ingenuis artibus magnopere favisse atque adeo Traianum humanitatis et litterarum gloria ab Hadriano longe superatum fuisse facile concedo, tamen etiam Traianum nonnihil praesidii litteris tribuisse opponi posse duco. Praesto sunt enim testimonia, quae opinionem nostram satis superque comprobant. Ac provocandum est imprimis ad Plini testimonium, quem scriptorem etsi in Panegyrico suo partes laudatoris ardentius persecutum esse constat, tamen non omnino eum a vero recessisse consentaneum est existimare. Cuius in Panegyrico [4]) haec legimus: „Quid? vitam, quid? mores iuventutis quam principaliter formas! quem honorem dicendi magistri, quam dignationem sapientiae doctoribus habes! ut sub te spiritum et sanguinem et patriam receperunt studia!...“ Idem alio loco [5]) haec tradit: „non eloquentius, quam prius, sed.... liberius ideoque libentius scribitur. Accedet ergo hoc quoque laudibus principis nostri, quod res antea tam invisa quam

[1]) v. Ribbeckium, praef. edit. laud. p. X, Stampinium op. laud. p. 448, Naguievium, diss. laud. p. 20.

[2]) l. IV, 2. [3]) cf. Imhof. l. cit., p. 94. [4]) C. 47. [5]) l. III. epist. 18.

falsa, nunc ut vera, ita amabilis facta est". Conferri possunt haec [1]: „Si quando urbs nostra liberalibus studiis floruit, nunc maxime floret". Neque parciores laudes Traiano tribuit Tacitus [2]. Nec facit, quod, ut recte animadvertit Stampinius [3], natura ad bellica studia praesertim comparatus, ipse liberalioribus disciplinis hand ita multum operae dederit. Nam quum imperii salutem ac prosperitatem maxime cuperet, litteras bonasque artes nullo modo contemnere potuit. Ac profecto bibliothecas a Traiano constitutas fuisse constat ex Dione Cassio [4]. Inde satis superque apparet etiam Traianum litterarum studia fovisse ac honestasse. Quare contumelia profecto manes eius afficeret, qui Hadrianum solum tristes hac tempestate Camenas respexisse et neglectas litteras velut ex diuturno situ primum ad lucem vindicavisse contendisset.

Ceterum etsi Traianum nihil amplius ad litteras promovendas contulisse statueremus, praeterquam quod libertatem, quae quisque vellet, sentiendi publiceque proferendi indulsisset, tamen promeruit, ut laudibus exornaretur a poeta. Nam missis aliis, satirarum scriptori libertas illa post diuturnam sub Domitiano imperatore animi servitutem gravissimi recte momenti esse videbatur.

Quid, quod alia sunt insuper argumenta quae nos ad Traianum potius, quam ad Hadrianum conducant. Ut enim poeta, si Traianum ab eo in principio carminis notari putamus, miserrimam sub Domitiano litterarum condicionem iure suo atque aptissime depingere videtur, ita vereor, ne non prorsus incredibilia accipiamus, si poetam post felicissimum Traiani imperium, quum in Hadriano spem omnem studiorum poneret, in memoriam revocasse atque adeo accuratissime descripsisse tristissima Domitiani tempora credamus.

Adde, quod satira septima atque omnino tertii libri satirae, ut toto colore et ipsis argumentis proxime accedunt ad priores satiras (si excipis satiram sextam, quae ob indicia firmissima ad ultimos Traiani annos detrudenda est), ita a carminibus posterioribus, quae Hadriani aetate scripta fuisse constat, mirum quantum differunt ideoque satirae nostri libri a sequentibus carminibus longiore temporis spatio seiungendae videntur.

Eodem nos ducit quaestio illa de exsilio poetae, cuius causa versus satirae nostrae olim in Paridem facti fuisse traduntur [5].

---

[1] l. I. epist 10, 1. [2] Agric. Cap. 3. [3] op. laud. p. 445. [4] l. LXVIII, 16.
[5] Sunt ii versus:

90. „Quod non dant proceres, dabit histrio: tu Camerinos
Et Baream, tu nobilium magna atria curas?
Praefectos Pelopea facit, Philomela tribunos".

Atque quin aliquando exsulaverit poeta, dubitare vetant expressa vitarum testimonia. quarum hic operae pretium erit afferre de hac re narrationes. Itaque vita quae dicitur Kulenkampiana haec exhibet de exsilio: „extremis Domitiani temporibus missus in exsilium expertus est, quantum unius histrionis ira valeret. Exsulavit in Aegypto sub specie honoris, nec inde a novis principibus revocatus est. Donationa quae vocatur idem de exsilii auctore innuere videtur his: „obtentu militiae pulsus urbe tandem Romam cum veniret et Martialem suum non videret, tristitia et angore periit“. In Bodleiana haec scripta legimus: „quae cum ad aures tyranni (Traiani?) venissent, sui temporis vitia carpi intellexit... nulla alia occasione reperta struendae mortis in Juvenalem sub honoris praetextu fecit eum praefectum militum contra Scotos, qui bellum contra Romanos moverant, ita ut interficeretur Juvenalis“. Omniboniana haec habet: „Traianus fecit eum praefectum militum contra Scotos...“; in Vaticana prorsus alia eaque improbabilia leguntur: „Cum Claudius audiret..., fecit eum exsulare sub obtentu militiae et cum exercitu ad Aegyptum proficiscentem eum direxit“. Vita Probiana, quae summae constantiae et auctoritatis prae se fert speciem, tradit poetam propter versus illos in Paridem factos ac deinde „novis scriptis infertos in suspicionem venisse, quasi tempora figurate notasset, ac statim per honorem militiae quamquam octogenarium urbe summotum missumque fuisse ad praefecturam cohortis in extremam partem Aegypti tendentis“.

Itaque omnium fere vitarum consensu comprobatur Juvenalem Roma discedere coactum esse principis imperio, plurimae vero tradunt, causam exsilii fuisse versus illos in Paridem compositos. Quapropter in eorum opinionem discedere nolo, qui omnem narrationis illius fidem elevare tentarunt, alii grammaticorum commenta ea esse ex ingenio temere arrepta [1]), alii ex quibusdam singulos satirarum Juvenalis locos interpretandi conaminibus ortas et conflatas esse [2]) rati. Quamquam iisdem viris doctissimis facile largior atque adeo ultro assevero reliqua, quae leguntur in vitis, secum prorsus pugnantia ideoque fide indigna esse. Nam in tempore exsilii definiendo ac poe-

---

[1]) Io. Valent. Franckius, v. Examen criticum D. J. Juv. vitae, 1820, Altonae et Lipsiae, ubi vir acutissimus imprimis de exsilio poetae narrationem impugnat eamque nil nisi fabulam fictam et commenticiam esse censet (pp. 1—117); cf. Schanz, Gesch. d. röm. Litt., p. 339—340.

[2]) Sunt Düntzerus in Neue Jahrbb. T. Suppl. VI. pp. 374—379; Kempf in libello, qui Observv. in Juv. aliquot locos interpret. inscribitur, Berolini, 1843., Strackius, l. c, Vahlenus, l. c., Seehausi de Juv. vita dissertationem Hallensem 1887, qua hic vir doctus eidem opinioni patrocinatur, non inspexi.

nae auctore constituendo minime sibi constant vitarum auctores. Quae cum ita sint, ad quaestionem dirimendam in vitis nihil fere adiumenti invenimus. Nil mirum igitur, quod viri docti alii alia de hac re coniecerunt. Atque omnem difficultatem se vicisse putaverunt, qui Domitianum imperatorem exsilii auctorem fuisse demonstrare aggressi sunt. Quam sententiam a plurimis antiquiorum criticorum, quos omnes enumeratos invenies apud Hermannum [1]), temere arreptam suam fecerunt et argumentis probare conati sunt inter recentiores Weberus [2]), Hermannus [3]), Sieboldius [4]) Borghesius [5]), Friedlaenderus [6]), novissimis denique temporibus Naguievius [7]). Hi omnes subsidii nonnihil invenisse sibi visi sunt in Vita Kulenkampiana, cuius quidem auctor Juvenalem, ut vidimus, extremis Domitiani temporibus in exsilium missum expertum esse dicit, quantum unius histrionis ira valeret. Iidem tamen minime solliciti erant de reliquo vitae argumento, ubi de Juvenale semel in exsilium misso Antonino demum Pio imperatore in exsilio vita defuncto prorsus improbabilia firmissimoque Martialis [8]) testimonio repugnantia legimus. Adde quod plura sunt, quae nos cogant narrationis illius fidem in dubitationem vocare. Faciamus enim, id quod primo aspectu verisimillimum videtur, Juvenalem in Paridem vivum versus citatos composuisse atque quia haec histrionis reprehensio potius aulae cavillatio videri potuit, statim poenam delicti luisse. Tum exsilium poetae necesse est ante a. p. Chr. n. 84 ponamus, quo quidem anno histrionem ab imperatore adulterii suspectum occisum esse constat [9]). At vereor ne non prorsus improbabilia pro veris accipiamus, si ita se rem habuisse credemus. Nam quod inde sequitur, Juvenalem per integrum fere Domitiani imperium procul a patria in extrema orbis parte degisse, vix potest admitti, cum Domitiani temporum corruptos ac depravatos mores vividissimis coloribus a poeta descriptos in satira videamus, quod quidem nisi ab eo, qui testis oculatus fuisset quique aliquam certe partem horum temporum coram Romae vidisset, perfici non potuisse, quivis facile intelleget. Id ne ii quidem negare ausi sunt, qui Domitianum recte esse exsilii auctorem habendum probare conati sunt [10]). Nullius momenti videntur argumenta, quibus Naguievius [11]) hanc opinionem munire

---

[1]) l. c. p. 4. [2]) Satiren d. Juv. übstzt u. erl., Halle, 1838 p. 227 sq. [3]) l. cit. pp. 6—17, cf. praef. pp. 5–8. [4]) Sat. Juv. mit metr. Übersetz. u. Erl. Lipsiae 1858 in capite, quod inscrib.: Zur Lebensgeschichte des Dichters.

[5]) Annotazioni a Giovenale, p. 512, cuius libri inspiciendi occasionem nactus non sum.

[6]) diss. laud. p. 5 sq; cf. Sittengesch. t. III[5] Lipsiae 1881. ed. V p. 463 sq.

[7]) Observv. pp. 27—53. [8]) l. XII, ep. 18. [9]) teste Dione Cassio, l. LXVII, 3. [10]) v. Hermannum, l. c. p. 14, Naguievium, l. c. p. 35. [11]) l. cit.

studet. Qui primum in medium profert Domitianum iam initio imperii haud raro varium se ac suspiciosum praebuisse [1]; deinde suspicatur Paridis et Domitiae sine dubio vel maxime interfuisse, uti Juvenalis quam celerrime urbe expelleretur: nimirum pantomimum, qui tyranni familiaritate insolenter abuteretur, metuisse, ne Juvenalis crebris invectionibus omni gratia repente excideret, uxorem vero Domitiani identidem in metu fuisse, ne accusationibus Juvenalianis adulterii rumores addito tempore ad Caesaris aures pervenirent. Itaque Domitiam una cum histrione summa ope apud imperatorem nisos esse, ut Juvenalis quam celerrime urbe summoveretur. Quod merum commentum critici esse quis est qui neget.

Tamen facile concedo etiam post Paridis necem his versibus imperatorem offendi ac laedi potuisse. Non magis enim ad histrionem ipsum quam ad principem, qui pantomimo ignobili tantum auctoritatis indulserit, spectare hos versus perspicuum est [2]. Immo post perfidi histrionis obitum etiam magis saeviret in poetam necesse erat, qui versibus illis histrionis auctoritatem in memoriam sibi revocasset. Itaque fieri potuit, ut imperator versibus, qui sibi veterem ignaviam exprobrarent, magnopere offensus poetam Roma abire cogeret. Neque impedimento sunt Martialis epigrammata 24 et 91 libri septimi, quorum alterum arctam poetae cum Juvenale necessitudinem testatur, alterum scriptum est de Martialis agello, unde amico nuces Saturnalicias Romam mittit poeta. Cum enim epigrammatum liber septimus anno, ut auctor est Friedlaenderus in Martialis epigrammatum nupera editione [3], p. Chr. n. 92. in lucem prodierit, potest sane conici Juvenalem etiam post hunc annum a Domitiano, quem anno demum 96. mortem obiisse constat, relegatum esse, modo eum sub Traiani initia Romae versatum esse teneamus, siquidem idem Martialis in epigrammate primis Traiani annis conscripto ad Juvenalem ut tunc Romae viventem sese convertit [4].

Tamen argumenta, quae qui pro Domitiano pugnant [5], ex temporum condicione atque moribus ingenioque principis deprompserunt, minime valent ad hunc imperatorem criminandum. Exstant quidem plura testimonia, quae satis probant, principem maxime ultimis imperii annis exempla plurima eximiae crudelitatis ac saevitiae edidisse. Erant ea profecto tempora insanae saevitiae cum „suspiria bonerum subscribe-

---

[1]) v. Imhof., op. laud. p. 46.

[2]) Quod quidem parum meminisse videtur Teuffelius, qui imperatorem post Paridis necem sine dubio revocaturum fuisse dicit poetam, si eum propter versus in Paridem etiamtum vivum factos in exsilium misisset (Jahrbb. f. Philologie, t. 43., 1845, p. III.).

[3]) op. laud. [4]) l. XII, ep. 18. [5]) Naguievius, l. l. pp. 30—34.

rentur“ [1]) cumque „velut uno ictu Domitianus rempublicam exhaurire decrevisset [2]). Habemus insuper Suetonii testimonium, quo scriptor ille Domitianum sub finem imperii „non solum magnae, sed et callidae inopinataeque saevitiae“ fuisse tradit [3]). His imprimis adductus est Naguievius, ut relegationem poetae in haec tempora aptissime quadrare putaret. At egregie fallitur nostra quidem opinione. Verumenimvero poenae genus, quod sustinuit poeta, mitius ac lenius esse videtur, quam quod ad principem, qui insontes aeque ac sontes capiti damnaverit, auctorem referri possit. Nonne versus illi in Paridem facti ii habendi sunt, qui imperatori saevissimo maxime bilem movere debuerint. Ecquid enim tyranno crudelissimo ac in motum quemque intentissimo maiorem offensionis atque irae ansam praebere potuit, quam versus illi, quibus sibi a poeta vitium turpissimum atque imperatore indignissimum exprobratum videret, nimirum quod histrioni cuncta indulgeret. Quare concedi vix potest Naguievio, imperatorem de poenae irrogandae genere anxium ac sollicitum cogitasse atque „cum tantae auctoritatis virum publice punire non auderet, [4])“ per honorem militiae urbe eum summovisse [5]). Quod obicit idem criticus, Juvenalem, ut titulus Aquini repertus [6]) testatur, honorifico flaminis divi Vespasiani munere functum esse arteque declamandi aliquod sibi nomen iam comparasse, cum a Martiale „facundus“ appellaretur [7]), quapropter non adeo parvae existimationis virum Romae fuisse, uti propter nonnullos versus in pantomimum quendam compositos urbe amoveretur, minimi momenti esse videtur prae multis exemplis eximiae crudelitatis in cives nobilissimos editis. Sufficiet pauca adferre. Apud Suetonium [8]) haec legimus: „Occidit Hermogenem Tarsensem propter quasdam in historia figuras, librariis etiam, qui eam descripserant, cruci fixis;... interemit Mettium Pompusianum, quod... depictum orbem terrae in membrana contionesque regum ac ducum ex. T. Livio circumferret; Junium Rusticum, quod Paeti Thraseae et Helvidi Prisci laudes edidisset appellassetque eos sanc-

---

[1]) Tac. Agr. c. 45. [2]) Tac. Agr. c. 44. [3]) vita Dom. cap. 11.

[4]) vita Ruehliana; cf. vitam Lipsii: „cum palam in virum nihil auderet“.

[5]) cf. Teuffel loc. modo cit., Synnerberg, op. laud. p. 85, Rittweger l. l. p. 15 sq. Strack. l. l. p. 21.

[6]) Qui titulus nuper a Mommsenio supplementis secundum litterarum quaedam vestigia aut probabili coniectura adiectis adauctus est. V. inscriptt. regn. Neap. lat. Lipsiae, 1852, Nr. 4312.

[7]) l. VII, 91., qui liber epigrammatum a. p. Chr. n. 92 editus est Friedlanendero teste l. laud.

[8]) vita Dom. cap. 10.

tissimos viros, cuius criminis occasione philosophos omnes urbe Italiaque summovit". Longum est omnes testes citare cunctaque immanis crudelitatis exempla enumerare. Qui alia desiderant documenta, eos ad Imhofi librum de Domitiano saepius laudatum remitto [1]. — Valde mirum denique videtur, quod poeta versus illos, quos Paride etiamtum vivo conscriptos fuisse in promptu est conficere, tum demum, cum principem tot tantaque crudelitatis exempla edentem videret, publici iuris fecerit. Nam etsi vitae periculum eum contempsisse faciamus, ecquid, quaero, causae fuit principis cavillationis. At Naguievio [2] verisimile videtur, alium tunc temporis histrionem potentissimum fuisse, qui versibus illis Juvenalianis tangi posset. Sed antiquitus nihil traditur, quo haec coniectura probari possit. Immo omnia ei valde repugnant. Nam si reputamus, quanta saevitia atque crudelitate in Paridem usus sit Domitianus, quam ferociter deinde omnes, qui pantomimo illi favissent vel qui in pantomimis prodire non dubitassent, persecutus sit [3], edicto denique ludos illos sustulerit, pronum videtur Imhofio assentiri, qui Domitianum post Paridem interemptum, quoad vixisset, histrionem nullum habuisse arbitratur, cui tantum indulgeret [4]. Itaque de alio quodam histrione, qui aulae favore usus sit, ne cogitari quidem potest. Quae cum ita sint, nemo credet, versus olim in Paridem compositos tum demum in lucem a poeta emissos esse. Quod si quis omni quidem rerum memoria neglecta tenere audeat, nullo modo tamen evincet, ut poeta tum relegationis poenam subiisse credatur. Principem enim crudelissimum, cum versus malevolos eosque nulla causa recens interposita in se factos esse audivisset, tam mite poenae genus elegisse, ut satirici insolentiam cohiberet, nego.

Restat, ut argumentum e Quintiliani poetae aequalis verbis depromptum refutemus. Qui scriptor postquam de satiricis Romanorum poetis disseruit [5], haec addit: „sunt clari hodieque et qui olim nominabuntur".

Haec verba rhetoris Naguievius [6] Heinrichium [7] alios secutus ad Juvenalem, ut Quintiliani aequalem, spectare putat, tamen non nominatum esse aperte satiricum „quod poeta tunc temporis odium permoverit Domitiani, cui Quintilianus, ut liberorum Clementis, Domitiani patruelis, praeceptor plane deditus erat". Perperam ita iudicat. Poetam enim nostrum Domitiani temporibus satiras nondum scripsisse, nedum de carminibus edendis cogitavisse certum est atque indiciis singularum satirarum satis probatum. Quare concedi non potest Juvenalem iam tum adeo innotuisse, ut a Quintiliano in opere a. p. Chr.

[1]) praecipue pp. 107 sq. [2]) l. l. p. 36. [3]) Sueton. Dom. 10., cf. cap. 8. [4]) l. l. p. 72. [5]) Instit. orat. l. X. 1. §. 94. [6]) l. l. p. 36. [7]) ed. laud. t. II. p. 18.

n. 95. edito ut satiricus designaretur. Siquidem effrenatae principis saevitiae tempore etiam consilium mores depravatos perstringendi in intimo animi recessu reconditum a poeta proclive est colligere. Neque magis persuadetur nobis, quod idem vir doctus de causa dicit, qua commotus ei videtur esse Quintilianus, ut nomen poetae reticeret. Ecquid est enim, quod nos cogat hanc explicationem longe repetitam accipere. Simplicius enim ac probabilius id eo factum puto, primum quia rhetor, ubi de iis tantum dicit, quorum ingenii gloria nondum pervulgata erat, eos nominare consentaneum non iudicavit, deinde quod si eos nominasset, idem esset atque animum principis incitare ac sollicitare, quod quidem Quintilianus ut vir honestus indignatus est. Itaque de Domitiano tamquam exsilii poetae auctore res confecta iam haberi potest.

Quod Juvenalis ipse rem reticuit sub satirae primae finem, qua periculosum satiras scribendi negotium exponitur, tum quod omnes auctores Juvenali aequales de Domitiano poenae auctore siluerunt, quod Martialis amico post reditum non gratulatur, quod Suetonius ac Plinius Secundus, quorum alter tot caedes, tot scelera a Domitiano perpetrata variasque historiographorum more de Caesaribus narratiunculas tradere solet, alter acerbissimo odio Domitianum praesertim in Gratiarum actione sua perstringit, Juvenalis relegationem prorsus reticuerunt [1], haec omnia argumenta ut ex silentio deprompta haud multum valere puto ad Domitianum poenae crimine liberandum. Hoc certe evicimus ac firmissime tenemus, exsilium Juvenalis in Domitiani tempora incidere non potuisse.

Hic paucis etiam Friedlaenderi [2] sententia perstringenda videtur, qui Borghesi [3] vestigiis ingressus Crispinum, non principem, poenam poetae irrogavisse suspicatur. Qui quum Crispinum in sat. I ac IV malevolentissime exagitatum esse vidisset, hoc odium poetae acerbissimum in scurram Palatii ita explicavit, ut cum Borghesio hunc verisimilem exsilii auctorem esse putaret. Itaque ab ipso Crispino, penes quem ut praetorio praefectum esset honores militiae tribuere, in remotissimas imperii regiones ablegatum esse poetam sub „honoris militiae praetextu" pro certo habet. Quae tamen coniectura prorsus reicienda videtur, quia memoriam inde antiquitus traditam scilicet versus in Paridem factos causam exsilii exstitisse, prae sua sententia tantum non ex ingenio arrepta omnino pervertit. Ac de Domitiano hactenus.

---

[1]) quae quidem in medium prolata sunt contra Domitianum a Synnerbergio (op. laud. p. 86), Strackio (op. laud. p. 24), Rittwegero (l. l. p. 15.).

[2]) l. l. p. 5.

[3]) Adnotationes ad Juv. opp. V pp. 513—516, quem librum non inspexi.

Proinde misso Nerva imperatore, quem brevi dominationis tempore nihil profecisse supra vidimus, iam disquisitio erit, utrum Traiano an Hadriano potiore iure relegatio poetae tribuenda sit, inter quos maxime fluctuant criticorum sententiae. Testimonia, quae exstant antiqua, rem in ambiguo relinquunt. Nam etsi est in manibus vita Omniboniana quae dicitur edita ab Achaintrio, unde de Traiano exsilii auctore comperimus, tamen vel obiter intuentibus eam adeo confusam ac perturbatam esse videre licet, ut certi quidquam inde de exsilii Juvenaliani tempore constitui vix possit.

Ut mittam enim dicendi genus quam maxime reprehensione dignum, Paridis histrionis nomen omni quidem rerum memoria perversa cum Traiano coniungitur his verbis: „in Paridem panthonimimum, qui in deliciis apud Traianum imperatorem habebatur, primo carmina edidit, quae postea inseruit in eam satiram „et spes et ratio". Quare Traiani nomen aut pro „tyranno" id quod legitur in Bodleiana [1]) temere substitutum a scholiasta aut ut Hermannus [2]) atque hunc secutus Stampinius [3]) conicit, librariorum inscitia e vocabulo „tyranni" ortum videtur.

At vero qui Hadrianum relegationis poetae convincere studuerunt, nonnihil praesidii in verbis Probianae sibi invenire visi sunt, ubi poetam 80 annos natum exsulatum iisse legimus [4]). Idem fere in Vossiana ab Henninio edita traditur. Similiter denique in Donatiana de poeta brevi post reditum in urbem anno vitae octogesimo secundo mortuo legimus. Neque ab his abhorrere videntur, quae in Kulenkampiana postremo deprehenduntur: „Decessit longo senio confectus exsul Antonino Pio". Cuius vitae auctor etsi verbis conceptissimis poetam extremis Domitiani temporibus in exsilium missum esse tradit,

---

[1]) Etiam in hac vita pro voce „tyranni" in cod. Mediolanensi „Traiani" scriptum esse adnotavit Ribbeck (praef. ed. p. 8). Tamen initio hic nomen Traiani non exstitisse vel inde colligi potest, quod in eadem de morte statim obita sermo est, quod probari nequit, siquidem Hadriani temporibus poetam etiamtum vixisse, in satt. 13. et 15. indicia exstant luculentissima.

[2]) ed. praef. pp. 5. et. 7.

[3]) l. saepius laud. p. 454 sq.

[4]) Unde orta sit illa in vita Probiana de poeta octogenario urbe summoto notitia, ita explico. Sine dubio usque ad id tempus, quo vitae scribi coeptae sunt, servata est memoria, poetam aetate valde provectum (80 annos natum) vita decessise. Cum autem prorsus nesciretur, quo tempore poeta exsulatum iisset, mentione satirae quindecimae inserta, qua poeta se in Aegypto fuisse innuere videtur verbis: „quod ipse notavi", adducti sunt vitarum scriptores, ut poetam ultimis demum vitae annis Roma ablegatum fuisse computarent. Unde etiam alii poetam amplius non rediisse Romam, alii post reditum eum breviter vixisse tradunt. Tamen in re dubia certi quidquam statuere nolo.

tamen aliunde sane hausta probabiliore de exsilio notitia usque ad Antonini Pii imperium vitam produxisse statuit satiricum.

Inde apparet, prorsus nihil nos certi vitarum narrationibus debere. Quare temerarii esse videtur quaestione haud sane accurate ab omni parte perpensa cuiuslibet vitae mentione innixum rem confectam habere.

Missis igitur, quae e vitis deprompta sunt a nonnullis, quaeramus, numquae sint, quae nos in Hadriani tempora poetae exsilium ponere cogant [1]). Atque primum si poenae genus spectamus, quam solvisse traditur poeta, ab Hadriani imperatoris moribus atque ingenio eam nequaquam abhorrere, concedere in promptu est. Sunt profecto scriptorum antiquorum testimonia, quae Hadrianum morosum ac suspiciosum ideoque invisum fuisse clarissimis verbis edoceant. Itaque apud Aurelium Victorem haec legimus de Hadriano: [2]) „ingenium invidum, triste, lascivum et ad ostentationem sui insolens callide tegebat, continentiam, facilitatem, clementiam simulans“. Neque aliter huius principis ingenium Aelius Spartianus descripsit his [3]): „idem severus, laetus, comis, gravis, cunctator, tenax, liberalis, simulator, saevus, clemens et semper in omnibus varius. Amicos ditavit et quidem non petentes, quum petentibus nihil negaret. Idem tamen facile de amicis quidquid insusurrabatur, audivit. Atque ideo prope cunctos vel amicissimos vel eos, quos summis honoribus evexit, postea ut hostium loco habuit, ut Tatianum et Nepotem et Septicium Clarum. Nam Eudaemonem, prius conscium imperii, ad egestatem perduxit. Polyaenum et Marcellum ad mortem voluntariam coegit. Heliodorum famosissimis litteris lacessivit, Tatianum ut conscium tyrannidis et argui passus est et proscribi. Numilium Quadratum et Catilium Severum et Turbonem graviter insecutus est. Servianum, sororis virum nonagesimum iam annum agentem, ne sibi superviveret, mori coegit. Libertos denique et nonnullos milites insecutus est. Et quamvis esset oratione et versu promptissimus, tamen professores omnium artium semper ut doctior risit, contempsit, obtrivit“. Subiungi possunt, quae Dio Cassius

---

[1]) In Hadriani tempora exsilium poetae recte deprimendum esse, ut mittam priores: Salmasium, Dodvellum, qui maxime supra citatis Probianae verbis innixi sunt, inter recentiores sibi persuaserunt, ut a Heinrichio (ed. t. II. p. 21) incipiam, Ribbeckius (praef. p. 12 cf. der echte u. unechte Juvenal, p. 69), Widalius (Juvenal et ses satires, praef. p. 12), Teuffelius (Stud. u. Char. p. 537), Stampinius (l. c.), Weidnerus (Juvenals Satiren, Lipsiae, 1873. Einl. §. 23, 24.). Nuperrime eandem opinionem amplexus est Duerrius l. l. p. 18.), accessit Schanz (Röm. Littergesch.).

[2]) Epitom. cap. XIV. [3]) vita Hadriani, cap. XIV sq.

litteris mandavit [1]): „ἐμισήθη μὲν διά τε τοὺς πρώτους καὶ τελευταίους φόνους. ἅτε ἀδίκως καὶ ἀνοσίως γενομένους· ἐπεὶ οὕτωγε ἥκιστα φονικὸς ἐγένετο". Praecipue autem ultimis vitae annis crudelitas eius exundavit, quod testatur Aelius Spartianus [2]): „sub ipso mortis tempore ob leves offensas plurimos iussit occidi, quos Antoninus reservavit". Apud Dionem Cassium etiam legimus [3]) Hadrianum in Apollodoro architecto puniendo suspiciose ac crudeliter se gessisse". Quo quidem exemplo Ribbeckius nixus haec dixit [4]): qui apud Dionem legerit, qualis in Apollodorum architectum fuerit Hadrianus, plane geminum illius venenatis sparsae salibus atrocitatis, qua dicteria ulcisci solebat, exemplum in Juvenale editum intelleget". Tamen testimonio Dionis Cassi parum auctoritatis tribui posse recte putat Gregorovius [5]).

At si quaeritur de histrione, quem versibus Juvenalianis lacessitum esse legimus in vitis, apud veteres scriptores altum de hac re obtinet silentium. Neque aliunde histrionem ullum Hadriano acceptum novimus „cui ille princeps tantum tribuerit, ut eius gratia homines ad praefecturas et tribunatus eveheret". Ac de Antinoo, quem Hadriano dilectissimum fuisse atque in Aegypto a. p. Chr. n. 122. mortuum esse memoriae prodidit Dio Cassius [6]), hoc unum satis dictum erit, eum pantomimum non fuisse, sed adulescentem venustissima corporis forma insignem, „quem tamen, ut recte dicit Strackius [7]). nunquam ut Nero et Domitianus histriones suos et ut ipse Hadrianus Attianum vel Tatianum, hominem quendam ex equestri ordine, qui quondam tutor eius fuerat, imperii consortem fecit [8])".

Prorsus futile videtur, quod coniecit Stampinius de Pylade, qui in inscriptione Genuae reperta [9]) prior nominatur. Quod cum ille vir doctus ob merita quaedam histrionis atque officia factum putaret, protinus hunc esse histrionem, de quo agitur, intellegendum affirmavit. Tamen de Pylade illo inscriptione tradito nihil amplius notum est nisi eum aliquando manumissum esse ab Hadriano. At faciamus histrionem quendam nonnihil valuisse apud principem, quem varium se nonnunquam ac suspiciosum, interdum etiam morosum praebuisse constat,

---

[1]) Rom. Hist. l. 69, cap. 23. [2]) op. cit. cap. 25. [3]) l. cit. cap. 4. [4]) praef. p. XI. [5]) „Der Kaiser Hadrian u. seine Zeit, III Aufl. Stuttgart, 1884 p. 499. [6]) l. 69. cap. 11. [7]) l. c. p. 30.

[8]) cf. Gregorovi op. laud. p. 285: „Es waren meist Ritter, die er zu seinen Freunden und Begleitern oder zu seinen Secretären wählte und sie bildeten auch seinen Staatsrat". Idem infra p. 294 haec dicit: „Dieser Kaiser besetzte die grossen Hofämter überhaupt mit Rittern. Einfluss der Freigelassenen war getilgt, Gunstverhältnisse aufgegeben".

[9]) Inscriptiones Galliae Cisalp. lat. ed. Theod. Mommsen, pars posterior (Corp. inscriptt. lat. Berol. 1877) n. 7753. p. 889.

tamen si amasius ille tanta, quanta e vitarum narratione cognosci potest, revera usus est auctoritate, iure mireris hanc rem prorsus silentio praetermitti a scriptoribus, qui singula depravati huius imperatoris ingenii exempla accurate enarrant. Et ea est gravissima difficultas, quae opinioni de Hadriano exsilii poetae auctore iure obici potest. Quid enim causae fingamus, cur irae ansam de Paride versus praebuerint imperatori, si histrionem non habuit, cui nimium indulgeret.

Hic paucis etiam attingenda est Teuffeli [1]) coniectura, qui eandem opinionem secutus subsidio vocavit Sidoni Apollinaris versus [2]):

„Non qui tempore Caesaris secundi
Aeterno incoluit Tomos reatu,
Nec qui consimili deinde casu
Ad vulgi tenuem strepentis auram
Irati fuit histrionis exsul".

ac verbis „consimili casu" idem ac supra: „aeterno reatu" i. e. exsilium perpetuum notari existimans inde collegit poetam ab Hadriano relegatum nunquam postea Romam redisse. At non recte. Verba enim „consimili casu" in universum adhibuisse videtur poeta ad poenae, quam Ovidius ac Juvenalis pariter propter levissimam causam luerunt, similitudinem notandam [3]). Neque magis persuaderi nobis potest, quod Teuffelius eiusdem testimonii verbis: „ad vulgi tenuem strepentis auram" nixus de exsilii causa suspicatur. Cuius verba haec sunt: „Die Schwäche, welche der Kaiser für einen histrio hatte und die sich wohl auch manchmal bei Stellenbesetzungen bekundete, gab dem Publicum Veranlassung einst öffentlich im Theater jenem histrio die bezeichneten längst gedichteten und veröffentlichten, aber nun durch ihre Anwendbarkeit auf die Gegenwart besonders bekannt und populär gewordenen Verse der 7. Satire zuzurufen, worüber derselbe so aufgebracht war, dass er dafür an dem Dichter, so unschuldig er an der Sache war, Rache nahm und bewirkte, dass derselbe unter glimpflichem Vorwande — militärischer Dienstleistung — aus Rom entfernt wurde".

Huic Teuffeli coniecturae primum recte obici potest, id quod supra exposuimus, scilicet de histrione illo in aula principis gratioso prorsus nihil nos scire. Deinde Strackio [4]) assentior, si histrioni alicui tale quid accidisset, certe futurum fuisse, ut nomen eius ad nos perferretur. Potestne denique sano iudicio, cum testimonia praesto sint nulla, conici Romanos Hadriani temporibus adeo Juve-

[1]) St. u. Char. p. 538, cf. Weidner, praef. §. 23. [2]) carm. IX, v. 266 sq.
[3]) v. Nagnievium, l. l. p. 53, Rittwegerum, l. l. p. 23. [4]) l. cit. p. 32.

nalis satirarum gnaros fuisse, ut locos ex iis desumptos memoriter citarent. Ceterum verba illa Sidoni adeo perplexa atque intricata sunt, ut explicationibus variis viam aperiant.

Multa sunt igitur, quae opinioni de exsilio in Hadriani tempora ponendo resistant. Restat, ut ad Traianum descendamus, cuius tempore exsulasse poetam pro certo habent nonnulli critici, quorum sententiam, ut probabilissimam, meam facere non dubito [1]).

Ac de vitis, quae nomen Traiani exhibent, supra disseruimus, quantumque fidei huic perturbatae atque confusae narrationi tribui possit, vidimus. Itaque testimoniis, quae veritatis speciem prae se ferant, omnino destituti, num cetera nostram opinionem foveant, exploremus. Atque primum quaeritur, num fuerit in aula Traiani histrio, qui violari ac offendi posset versibus satirae nostrae saepius citatis. Nam versus illos imperatori ignaviam exprobrantes ad sua tempora spectare credere non potuit Traianus, nisi quid ipso illo tempore accidisset, quod cavillationis suspicionem moveret. Et sunt quidem clarissima Dionis Cassi verba [2]), quae hanc suspicionem valde probabilem reddunt. Cuius testimonium hoc est: „Τραιανὸς δὲ τά τε νικητήρια ἤγαγε καὶ Δακικὸς ἐπωνομάσθη. ἔν τε τῷ θεάτρῳ μονομάχους συνέβαλε καὶ γὰρ ἔχαιρεν αὐτοῖς καὶ τοὺς ὀρχηστὰς ἐς τὸ θέατρον ἐπανήγαγε. καὶ γὰρ ἑνὸς αὐτῶν, τοῦ Πυλάδου, ἤρα". Inde comperimus, nonnihil obnoxium fuisse Traianum pravis consuetudinibus in aula principum Romanorum iam pridem usitatissimis atque libertis, histrionibus, aliis eiusdemmodi hominibus aliquid auctoritatis et potentiae concessisse. Cuius testimonii vim plane infringi ac debilitari eiusdem auctoris verbis, quae de Pylade narrationem excipiunt: οὐ μέντοι, οἷα πολεμικὸς ἀνήρ, τἄλλα ἧττον διῆγεν, ἢ καὶ ἧττον ἐδίκαζεν, quaeque cum aliis locis [3]) idem scriptor, tum alii historici de Traiano tradiderunt, haud recte censuerunt Hermannus [4]), Naguievius [5]), Strackius [6]), Stampinius [7]) alii. Ex verbis enim Dionis modo citatis id tantum elucet, Traianum non eo progressum esse erga histrionem indulgentiae, ut in omnibus rebus eius sequeretur arbitrium. Quo magis autem princeps se a tantis probris alienum esse sensisset non omni tamen culpa vacuus, tanto aegrius ferre eum debuisse obliquam eorum insimulationem facile largior Synnerbergio [8]). Ceterum Traiani studium histrionum ceterorumque circi aut harenae artificum in dies maius evasisse, ita ut bello Parthico exardescente

[1]) Traianum amplexi sunt Völkerus (v. Juvenal, ein Lebens- u. Charakter bild aus der röm. Kaiserzeit, Elberfeld, 1851, p. 105), Synnerberg. (p. 40, cf. pp. 81—84), Rittwęger. (p. 18 ad finem); Teuffelius (St. u. Char. I. ed., p. 307) idem credidit, postea mutavit sententiam.

[2]) l. 68. cap. 10. [3]) l. 68, cap. 5, 6, 7. [4]) praef. ed. laud. p. V. [5]) l. laud. p. 49. [6]) l. l. p. 27. [7]) l. l. p. 453. [8]) diss. laud. p. 83 sq.

„histriones ex urbe in Suriam acciret" a Frontone [1]) docemur. Proinde iure nostro suspicamur Traianum nonnunquam histrioni cuidam valde amato plus iusto indulsisse.

Iam quaeritur, num poenae genus, quam subiit poeta, ad Traianum auctorem iure referatur. Viri enim doctissimi iique plurimi exsilii poenam, quae ab imperatore Juvenali irrogata esse traditur, a Traiani ingenio prorsus abhorrere collegerunt e testimoniis inde antiquitus servatis. Atqui nobis diversam opinionem secutis non deest munimentum. Exstat quidem documentum firmissimum, unde confici possit, Traianum interdum etiam iniquae irae indulsisse. Apud Cornelium Frontonem enim haec legimus de caede Parthamasiri [2]): „Traiano caedes Parthamasiri regis supplicis haud satis excusata. Tametsi ultro ille vim coeptans tumultu orto merito interfectus est, meliore tamen Romanorum fama impune supplex abiisset, quam iure supplicium luisset. Namque talium facinorum causa facti latet, factum spectatur longeque praestat secundo gentium rumore iniuriam neglegere, quam adverso vindicare". Eiusdem facinoris mentionem etiam apud Dionem Cassium deprehendimus [3]). Hic commemoratu dignum est aliud exemplum, unde Traianum non semper iustitiae leges accurate observasse, immo nonnunquam his prorsus neglectis, ut ei liberet, fecisse apparebit. In quem enim acerrime animadvertere debuit, in Abgarum Mannum Osrhoenum principem propter formositatem eius mansuetudine ac liberalitate usus est eximia. Ac recte Dierauerus haec dicit [4]): „Es steht ausser Zweifel, dass er zu dieser Milde, die seinem strengen Verfahren gegen Parthamasiris auffallend widerspricht, durch die Fürbitten eines schönen osrhoenischen Prinzen bewogen wurde. Es haben sich Anecdoten in Menge über dies Verhältnis Traians zu demselben gebildet".

Qui exsilii poenam, quae accidit, acriorem fuisse quam quae ad Traianum auctorem referri posset, censuerunt, eos in errore versari puto, siquidem relegatus est poeta „sub praetextu honoris militiae", ut unanimiter fere tradunt vitarum auctores. Adde quod Juvenalis primis Traiani annis aetate adeo provectus non erat, ut ei praefectura in confinio imperii committi non posset, nisi ut mortem obiret maturius.

Itaque probabilissimo modo conici potest, principem versibus satirae septimae in Paridem Domitiani factis ac tum repetitis a poeta,

---

[1]) de princ. hist., V, 13, (ed. Niebuhr, Berol. 1816 p. 249).
[2]) op. laud. p. 247 sq. [3]) l. 68, cap. 20.
[4]) Beiträge zur krit. Geschichte Traians (Untersuch zur röm. Kaisergesch. v. Max Büdinger, Leipzig, 1868 I. Bd. p. 165).

memoria Paridis eiusque in aula Domitiani auctoritatis etiamtum recenti offensum esse, ita ut poetam urbe depelleret.

Quam igitur de satirae nostrae editionis tempore amplexus sum opinionem, ab omni parte munitam ac firmatam esse puto.

Restat ut quoad id fieri possit, annus, quo conscripta ac edita sit satira nostra, accurate definiatur.

Atque Synnerbergius[1]) relegationem poetae in temporis spatium incidere putat, quod anno 103., quo Traianum de Dacis triumphasse atque res illas, quae cum poenae causa aptissime coniungi possunt, accidisse narrat Dio Cassius, et ineunte anno 104., quo quidem anno princeps secundum bellum Dacicum incepturus verno tempore ad exercitum profectus esse traditur, comprehenditur. Intra hos annos etiam satiram nostram in lucem prodiisse auctor est[2]).

Cui sententiae et ego accedo, ita tamen, ut Dierauerum[3]), quem in Traiani rerum temporibus constituendis multum operae consumpsisse constat, consulens terminos illos a Synnerbergio constitutos magis distinendos existimem. Triumphum enim de Dacis iam a. p. Chr. n. 102. egisse Traianum, secundum autem bellum initurum auctumno demum anni 104. profectum esse demonstrare contigit Dierauero. Itaque temporis spatium, quo satiram septimam exaravit ac deinceps propter versus illius satirae supra citatos relegatus est, duo annos fere totos inde a centesimo tertio ad centesimum quartum amplectitur.

Si Strackius[4]) in eo offendit, quod poeta in satira post primum illum triumphum conscripta nullam huius victoriae mentionem fecit, nullius est momenti. Nam neque satirici erat principis laudes enarrare neque triumphus, quem anno 102 celebravit princeps, tam splendidus fuit, quam secundus, quem de Dacis omnino devictis ac superatis ac Decebalo interfecto a. p. Chr. n. 106. princeps egisse narratur.

Itaque in eo stare oportet, satiram septimam anno p. Chr. n. 103. aut 104. conscriptam ac publici iuris factam exsilii poetae causam exstitisse.

---

[1]) l. laud. p. 84. [2]) cf. Rittweger. l. laud. p. 33. [3]) op. l. p. 92 sq.
[4]) l. l. p. 29.

WIADOMOŚCI SZKOLNE.

I. Skład grona nauczycielskiego przy końcu roku szk. 1894.

1. Żułkiewicz Michał, dyrektor, uczył propedeutyki filozofii w klasie VII. i VIII.; — tygodniowo godzin 4.

2. Machnicki Henryk, profesor w VIII. randze, z powodu słabości otrzymał urlop na przeciąg drugiego półrocza.

3. Szklarz Michał, profesor, zawiadowca gabinetu historyi naturalnej, uczył matematyki w kl. II. *b*, historyi naturalnej w kl. I. *a*, I. *b*, II. *a*, II. *b*, III. *a*, III. *b*, V. i VI.; — tygodniowo godzin 19.

4. Tota Ludwik, profesor, gospodarz klasy III. *b*, uczył języka łacińskiego w kl. III. *b* i V., języka greckiego w kl. III. *b*; — tygodniowo godzin 17.

5. Ks. Fox Stanisław, profesor, uczył religii w kl. I.—VIII.; — tygodniowo godzin 22.

6. Świtalski Stanisław, profesor, zawiadowca biblioteki polskiej dla uczniów, uczył języka polskiego w kl. III. *a*, V.—VIII.; — tygodniowo godzin 15.

7. Matwij Stanisław, profesor, gospodarz klasy I. *a*, uczył języka łacińskiego w kl. I. *a*, języka greckiego w kl. VII., języka polskiego w kl. I. *a* i III. *b*.; — tygodniowo godzin 18.

8. Serwin Ignacy, profesor, gospodarz klasy VII., zawiadowca gabinetu fizykalnego, uczył matematyki w kl. III. *a*, VI.—VIII., fizyki w kl. IV., VII. i VIII.; — tygodniowo godzin 20.

9. Grudziński Stefan, profesor, gospodarz klasy VI., zawiadowca niemieckiej biblioteki dla uczniów, uczył języka niemieckiego w kl. III. *a*, V.—VIII.; — tygodniowo godzin 20.

10. Bryl Jan, profesor, gospodarz klasy VIII., zawiadowca bi-

blioteki nauczycielskiej, uczył języka łacińskiego w kl. VI., języka greckiego w kl. VI. i VIII., historyi i geografii w kl. VI.; — tygodniowo godzin 20.

11. Waśkowski Wawrzyniec, nauczyciel, zawiadowca gabinetu geograficznego i historycznego, uczył geografii w kl. I. *a* i I. *b*, historyi i geografii w kl. III. *a*, III. *b*, IV., VII. i VIII.; — tygodniowo godzin 22.

12. Chowaniec Franciszek, nauczyciel, gospodarz klasy V., uczył języka łacińskiego w kl. VIII., języka greckiego w kl. IV. i V., języka polskiego, historyi i geografii w kl. II. *a*.; — tygodniowo godzin 21.

13. Schmidt Wiktor, nauczyciel, gospodarz klasy III. *a*, uczył języka łacińskiego w kl. II. *a* i VII., języka greckiego w kl. III. *a*, historyi i geografii w kl. V.; — tygodniowo godzin 21.

14. Grabowicz Cyryl, egz. zastępca nauczyciela, uczył matematyki w kl. I. *a* i *b*, II. *a*, III. *b*, IV. i V.; — tygodniowo godzin 19.

15. Dozorców Szymon, z. n., gospodarz klasy II. *a*, uczył języka niemieckiego w kl. I. *a*, I. *b* i II. *a*; — tygodniowo godzin 17.

16. Koczwara Jan, z. n., gospodarz klasy IV., uczył języka łacińskiego i polskiego w kl. IV., języka niemieckiego w kl. III. *b* i IV.; — tygodniowo godzin 17.

17. Bogucki Michał, z. n., gospodarz klasy I. *b*, uczył języka łacińskiego w klasie I. *b* i III. *a*, języka polskiego w kl. I. *b*, historyi i geografii w kl. II. *b*; — tygodniowo godzin 21.

18. Barański Franciszek, z. n., gospodarz klasy II. *b*, uczył języka łacińskiego, polskiego i niemieckiego w kl. II. *b*; — tygodniowo godzin 16.

Nauczyciele przedmiotów nadobowiązkowych.

1. Grudziński Stefan, j. w., uczył języka francuskiego tygodniowo godzin 6.

2. Waśkowski Wawrzyniec, j. w., uczył historyi kraju rodzinnego w kl. III. *a*, III. *b*, i IV. po 1 godzinie w tygodniu, w kl. VII. w 1. półroczu 1, w 2. zaś 2 godziny na tydzień, w kl. VIII. w 1. półroczu 1 godzinę w tygodniu.

3. Serwin Ignacy, j. w., uczył kaligrafii 2 godziny na tydzień.

4. Chowaniec Franciszek, j. w., uczył gimnastyki 6 godzin na tydzień.

5. Langer Antoni, kapelmistrz muzyki salinarnej, uczył śpiewu tygodniowo godzin 4, muzyki 6 godzin na tydzień.

II. Program nauki.

Nauka odbywała się według planu naukowego, ułożonego w myśl instrukcyi z r. 1884 (rozp. W. Minist. W. i O. z d. 26. maja 1884 l. 10128) i według rozporządzeń W. Minist. W. i O. z d. 2. maja 1387 l. 8752, z d. 30. września 1891 l. 1786 i z dnia 24. maja 1892 l. 11372, tudzież W. Rady Szk. kr. z d. 27. marca 1889 l. 3384, z d. 15. kwietnia 1889 l. 6462, z d. 16. lipca 1889 l. 11426, z d. 24. maja 1890 l. 7561, z d. 10. maja 1891 l. 9046, z dnia 21. maja 1892 l. 10122, z dnia 16. czerwca 1892 l. 581, z dnia 29. lipca 1892 l. 12693 i z dnia 13. kwietnia 1893 l. 6706.

Wykaz lektury.

A. Lektura łacińska.

Kl. III.: Corn. Nep. Miltiades, Themistocles, Aristides, Cimon, Epaminondas, Pelopidas, Hannibal.

Kl. IV.: Caes. B. G. I., III., IV. — Ov. Met. I, 89—259.

Kl. V.: Liv. I.; XXII, 1—30. Ov. Met. I, 89—415; V, 385—437; 461—571. Am. I, 15. Fast. II, 83—118. Trist. I, 1.

Kl. VI.: Sal. Catilina, Cic. Cat. I., Verg. Ecl. 1. i 9., Georg. I, 1—42; II, 109—176. Aen. I. i II.

Kl. VII.: Verg. Aen. VI., VII., VIII., IX., X., XI. w wyjątkach, zawartych w wydaniu Eichlera. Cic.: Rosc. Am., Sull., Cato maior.

Kl. VIII.: Hor. Carm. I. i II. według wydania Sasa, III. 1, 2, 3, 4, 5, 8, 9, 13, 21, 30. IV. 2, 3, 5, 14. Epod. 2, 7. Sat. I. 1, 6. Epist. I, 2. II, 3, 1—75. Tacit. Annal. I, 1—60. III, 1—10.

B. Lektura grecka.

Kl. V.: Xen. Anab. I, 1; 2, 1—5; 3; 4, 1—4; 5—9; 11—19; 6; 7; 8; II, 1; 3; 5; III, 1; (pryw. I, 5; 9; II, 6.). Comm. I, 1; 2, 1—20; 24—28; 48—55; 62—64. Hom Il. I. i VI, 1—100.

Kl. VI.: Hom. Il. III., VI., XVI., XXII., XXIV. Herod. IX. (Podług wydania Hintnera.). Xen. Comm. I, 1; 2, 1—4.

Kl. VII.: Demostenes: I., II. i III. mowa olintyjska, II. mowa przeciw Filipowi. Hom. Od. I, 1—80; V., VI., VII. i XI.

Kl. VIII.: Platona Apologia i z Protagorasa 10 rozdziałów. Sofoklesa Król Edyp.

C. Lektura polska.

Kl. V.: Obok czytania ustępów, zawartych w Próchnickiego Wzorach poezyi i prozy, przy pomocy lektury domowej przerobiono w szkole: Pol, Mohort; Syrokomla: Janko Cmentarnik, Stare wrota, Margier; Byron, Więzień Czyllonu w przekładzie Fr. Morawskiego.

Kl. VI.: Oprócz ustępów, zawartych w Wypisach, czytano — prywatnie —: Pasek, Pamiętniki; Kitowicz, Pamiętniki; Rzewuski, Listopad; Sienkiewicz: Ogniem i mieczem, Potop, Wołodyjowski; Naruszewicz, Żywot Chodkiewicza; Tarnowski St., Pisarze polityczni; Szujski, Odrodzenie i reformacya.

Kl. VII.: Oprócz ustępów, zawartych w Wypisach, czytano (prywatnie): Rzewuski, Listopad; Niemcewicz, Jan z Tęczyna; Krasicki: Doświadczyński, Pan Podstoli; Zabłocki, Fircyk w zalotach; Mickiewicz: Zima miejska, Dudarz, Lilie, Świteź, Romantyczność, Konrad Wallenrod, Dziady, cz. II., Pan Tadeusz; Słowacki: Bielecki, Mnich, Balladyna.

Kl. VIII.: Oprócz ustępów, zawartych w Wypisach, czytano: Fredro: Zemsta, Damy i huzary, Śluby panieńskie; Malczewski, Marya; Słowacki: Bielecki, Mnich, Lilla Weneda, Balladyna; Krasiński, Irydyon; Moor, Czciciele ognia; Szekspir: Makbet, Król Lear; Byron, Więzień Czyllonu; Korzeniowski: Kollokacya, Spekulant; Szujski, Halszka z Ostroga.

D. Lektura niemiecka.

Oprócz ustępów, zawartych w książce do czytania, czytano w całości następujące dzieła w wydaniu Graesera:

w kl. V.: Shakespeare, Julius Cäsar.

w kl. VI.: Die deutsche Heldensage; Lessing, Minna von Barnhelm.

w kl. VII.: Wieland, Oberon; Herder, Der Cid; Lessing, Philotas; Lessing, Minna von Barnhelm; Goethe: Hermann und Dorothea, Dichtung und Wahrheit, Götz von Berlichingen, Egmont, Iphigenie auf Tauris.

w kl. VIII.: Schiller: Maria Stuart, Jungfrau von Orleans, Braut von Messina; Goethe, Torquato Tasso; Körner, Zriny — i celniejsze dramaty Grillparzera.

Wykaz książek,

których używać się będzie w roku szkolnym 1894/5.

Klasa I.: Deharb-Morawski, Katechizm większy dla szkół ludowych. Samolewicz, Zwięzła gramatyka języka łacińskiego. Steiner i Scheindler, Ćwiczenia łacińskie dla I. klasy. Małecki, Gramatyka języka polskiego szkolna w 8. wydaniu. Próchnicki i Wójcik, Wypisy polskie dla I. klasy. German i Petelenz, Ćwiczenia niemieckie dla kl. pierwszej. Benoni i Tatomir, Krótki rys geografii w 4., 5. i 6. wydaniu. Zajączkowski, Początki arytmetyki. Część I. w 3. wydaniu. Močnik-Maryniak, Geometrya poglądowa. Część I. w 6. wydaniu. Nowicki, Zoologia w 6. wydaniu. Rostafiński, Botanika szkolna na klasy niższe. Wydanie nowe. Kraków 1892.

Klasa II.: Ks. Dąbrowski, Historya biblijna zakonu starego. Samolewicz, Zwięzła gramatyka języka łacińskiego w 1., 2. i 3. wydaniu. Steiner i Scheindler, Ćwiczenia łacińskie dla II. klasy. Małecki, Gramatyka języka polskiego szkolna w 8. wydaniu. Próchnicki i Wójcik, Wypisy polskie dla II. klasy. German i Petelenz, Ćwiczenia niemieckie dla klasy drugiej. Baranowski i Dziedzicki, Geografia powszechna. Wyd. 4.—6. — Semkowicz, Opowiadania z dziejów powszechnych. Część I. — Zajączkowski, Początki arytmetyki. Część I. w 2. i 3. wydaniu. Močnik-Maryniak, Geometrya poglądowa. Część I. w 6. wydaniu. Nowicki, Zoologia w 6. wydaniu. Rostafiński, Botanika szkolna na klasy niższe. Wydanie nowe. Kraków 1892.

Klasa III.: Ks. Dąbrowski, Historya biblijna nowego zakonu. Wydanie 1. i 2. — Samolewicz-Sołtysik, Gramatyka języka łacińskiego. Część II. w 5. i 6. wydaniu. Próchnicki, Ćwiczenia łacińskie dla klasy trzeciej. Wyd. 2. i 3. — Cornelius Nepos, wydanie Kłaka. Fiderer, Gramatyka języka greckiego. Schenkl-Parylak, Ćwiczenia greckie. Wyd. 2. — Małecki, Gramatyka języka polskiego w 8. wydaniu. Czubek-Zawiliński, Wypisy polskie dla III. klasy. German i Petelenz, Ćwiczenia niemieckie dla klasy trzeciej. Petelenz, Deutsche Grammatik. Baranowski i Dziedzicki, Geografia powszechna w 4.—6. wydaniu. Semkowicz, Opowiadania z dziejów powszechnych. Część II. — Rawer, Dzieje ojczyste. Część I. Zajączkowski, Początki arytmetyki i algebry. Część II. w 2. wydaniu. Močnik-Maryniak, Geometrya poglądowa. Część II. w 3. i 4. wydaniu. Kawecki i Tomaszewski, Fizyka dla niższych klas szkół średnich. Łomnicki, Mineralogia dla niższych klas. 2. i 3. wydanie.

Klasa IV.: Ks. Jachimowski, Liturgika katolicka. Samolewicz-Sołtysik, Gramatyka języka łacińskiego. Część II. w 5. wydaniu. Próchnicki, Ćwiczenia łacińskie dla IV. klasy. Caesar, Commentarii de bello Gallico. Wydanie Prammera w zastósowaniu Bednarskiego. Ovidius, wydanie Grysara-Ziwsy w zastósowaniu Skupniewicza. Fiderer, Gramatyka języka greckiego. Schenkl-Lewicki-Parylak, Ćwiczenia greckie. Małecki, Gramatyka języka polskiego w 8. wydaniu. Wypisy polskie na klasę IV. w 2. wydaniu. German i Petelenz, Ćwiczenia niemieckie dla klasy IV. Petelenz, Deutsche Grammatik. Welter-Sawczyński, Dzieje powszechne skrócone. Część III. w 5. wydaniu. Benoni-Majerski, Geografia austr.-węgierskiej monarchii. 2. wydanie. Zajączkowski, Początki arytmetyki i algebry. Część II. w 2. wydaniu. Močnik-Maryniak, Geometrya poglądowa. Część II. w 3. i 4. wydaniu. Soleski, Nauka fizyki. Wydanie drugie.

Klasa V.: Ks. Jachimowski, Dogmatyka ogólna. Livius, wydanie do użytku szkolnego trzecie A. Zingerlego w zastósowaniu Majchrowicza. Ovidius, wydanie Grysara-Ziwsy w zastósowaniu Skupniewicza. Samolewicz-Sołtysik, Gramatyka języka łacińskiego. Część II. w 5. wydaniu. Fiderer, Chrestomatya z pism Xenofonta. Homera Iliada. Część I., wydanie Scheindlera w zastósowaniu Sołtysika. Fiderer, Gramatyka języka greckiego. Schenkl-Lewicki-Parylak, Ćwiczenia greckie. Próchnicki, Wzory poezyi i prozy. Mickiewicz A., Pan Tadeusz. Wydanie Macierzy Polskiej. Petelenz und Werner, Deutsches Lesebuch für die V. Classe. Zakrzewski, Historya powszechna. Część I. — Dziwiński, Zasady algebry. Močnik-Stanecki, Geometrya dla wyższych klas. 3. wydanie. Łomnicki, Mineralogia i geologia w 3. wydaniu. Rostafiński, Botanika szkolna dla klas wyższych.

Klasa VI.: Ks. Jachimowski, Dogmatyka szczegółowa. Sallustius, Wojna z Jugurtą. Wydanie Linkera i Klimschy w zastósowaniu Sołtysika. Vergilius. Wydanie Eichlera i wydanie Eichlera w zastósowaniu Rzepińskiego. Cicero, Cztery mowy przeciw Katylinie. Wydanie Kornitzera w zastósowaniu Sołtysika. Samolewicz, Gramatyka języka łacińskiego. Część II. w 5. wydaniu. Fiderer, Chrestomatya z pism Xenofonta. Homera Iliada. Część II., wydanie Scheindlera w zastósowaniu Sołtysika. Herodot, wydanie Hintnera. Curtius-Hartel-Ćwikliński, Gramatyka języka greckiego. Schenkl-Lewicki-Parylak, Ćwiczenia greckie. Wypisy polskie Stan. Tarnowskiego i J. Wójcika. Część I. — Petelenz und Werner, Deutsches Lesebuch für die sechste Classe. Zakrzewski, Historya powszechna. Część I. i II. — Dziwiński, Zasady algebry.

Močnik-Stanecki, Geometrya dla wyższych klas. 3. wydanie. Logarytmy Schlömilcha. Petelenz, Zoologia dla wyższych klas szkół średnich.

Klasa VII.: Martin-Solecki, Etyka katolicka. Cicero: Mowa o naczelnem dowództwie Pompejusza. Wydanie Kornitzera-Sołtysika. In C. Verrem accusationis lib. IV. — Orationes Philippicae. Wydanie Nohla. De officiis. Wydanie Schichego. Vergilius. Wydanie Eichlera. Samolewicz, Gramatyka języka łacińskiego. 4. wydanie. Homeri Odysseae epitome. Wydał Pauly-Wotke. Część I. w 7. wydaniu. Demostenes, Wybór mów. Wydał Wotke-Schmidt. Wydanie 2. — Fiderer, Chrestomatya z pism Xenofonta. Samolewicz, Gramatyka języka greckiego. 3. wydanie. Wypisy polskie Stan. Tarnowskiego i J. Wójcika. Część I. — Wypisy polskie Stan. Tarnowskiego i Fr. Próchnickiego. Część II. — Słowacki, Balladyna. Wydanie Bibl. powsz. Malczewski, Marya. Arc. poet. pol.— Fredro: Śluby panieńskie, Pan Geldhab. Wydanie Bibl. powsz.— Petelenz und Werner, Deutsches Lesebuch für die siebente Classe. Goethe: Hermann und Dorothea, Egmont, Iphigenie auf Tauris. Schiller, Maria Stuart. Wydanie Graesera. Gindely-Markiewicz, Dzieje nowożytne. Lewicki, Zarys dziejów Polski i krajów ruskich z nią połączonych. Dziwiński, Zasady algebry. Močnik-Stanecki, Geometrya dla wyższych klas. 3. wydanie. Logarytmy Schlömilcha. Kawecki i Tomaszewski, Fizyka dla wyższych klas szkół średnich. Tomaszewski, Chemia. Kozłowski, Logika elementarna.

Klasa VIII.: Wappler-Jakubowicz, Historya kościoła katolickiego. 5. wydanie. Horatius. Wydanie Sasa. Tacitus. Wydanie Müllera. Vol. I. — Samolewicz, Gramatyka języka łacińskiego. 4. wydanie. Platona Eutyfron i Gorgias. Wydanie Christa. Sofoklesa Antygona. Wydanie Schuberta w zastósowaniu Majchrowicza. Homeri Odysseae epitome. Wydał Pauly-Wotke. Część II. w 5. wydaniu. Samolewicz, Gramatyka języka greckiego. 3. wydanie. Wypisy polskie St. Tarnowskiego i Fr. Próchnickiego. Część II.— Krasiński, Irydyon. Wydanie Bibl. powsz. — Petelenz und Werner, Deutsches Lesebuch für die achte Classe. Schiller: Wallenstein, Wilhelm Tell, Jungfrau von Orleans. Kleist, Das Käthchen von Heilbronn. Wydanie Graesera. Hannak-Leniek, Historya i statystyka austr. węgier. monarchii. Lewicki, Zarys dziejów Polski i krajów ruskich z nią połączonych. Dziwiński, Zasady algebry. Močnik-Stanecki, Geometrya dla wyższych klas. 3. wydanie. Logarytmy Schlömilcha. Kawecki i Tomaszewski, Fizyka

dla wyższych klas szkół średnich. Crüger-Sawczyński, Zarys psychologii.

IV. Tematy do piśmiennych wypracowań uczniów klas wyższych.

A. W języku polskim.

W V. klasie: 1. Jak przebyłem wakacye? (Dom.). — 2. Opis jesieni. (Dom.). — 3. Tok myśli w poemacie W. Pola: „Leśne jezioro". (Dom.). — 4. Treść „Grażyny" Mickiewicza. (Szk.). — 5. Treść i układ „Ojca zadżumionych" Słowackiego. (Dom.). — 6. Jakimi przymiotami odznacza się żona Litawora? (Szk.). — 7. Jakimi przymiotami odznacza się Bronisława z poematu K. Brodzińskiego p. t. „Wiesław"? (Dom.). — 8. Rozbiór gawędy Mickiewicza „Popas w Upicie". (Szk.). — 9. Obrazowanie w „Ojcu zadżumionych" Słowackiego od wiersza 1.—200. (Dom). — 10. Treść jednej z czytanych gawęd Pola lub Syrokomli. (Szk.). — 11. Obrazowanie w I. księdze „Pana Tadeusza" od wiersza 1.—300. (Dom.). — 12. Zamek Horeszków i jego dzieje na podstawie 2. księgi „Pana Tadeusza". (Szk.). — 13. Skutki wojen punickich. (Szk.). — 14. Zachód słońca. (Opis na podstawie czytanego ustępu z „Pana Tadeusza". Dom.). —

W VI. klasie: 1. Żywot pomierny. (Na podstawie czytanych ustępów M. Reya. Dom.). — 2. Treść i układ „Odprawy posłów greckich" J. Kochanowskiego. (Szk.). — 3. Tok myśli w XIX. trenie J. Kochanowskiego. (Dom.). — 4. Zdać sprawę z ustępu Modrzewskiego: „O karze na mężobójstwo". (Dom.). — 5. Jak każe M. Rey wychowywać szlachcica polskiego? (Szk.) — 6. Ideał dworzanina podług Ł. Górnickiego. (Dom.) — 7. Bitwa pod Pistoryą. (Opis na podstawie lektury Sallustyusza. Szk.). — 8. Kronika a historya. (Porównanie na podstawie nauki szkolnej. Dom.) — 9. Jakie przysługi oddał Cycero ojczyźnie przez odkrycie spisku Katyliny? (Szk.). — 10. Treść książki, przeczytanej w domu. (Szk.). — 11. Alexander Wielki a Hannibal. (Dom.). — 12. Bitwa pod Plateami na podstawie lektury Herodota. (Szk.). — 13. Jakie dowody miłości ojczyzny złożyli Grecy w wojnie z Mardoniuszem? (Na podstawie lektury Herodota ks. IX. Dom.). — 14. Zasługi Konarskiego wobec literatury polskiej. (Szk.). —

W VII. klasie: 1. Rozwinąć myśl zawartą w zdaniu: „Ut sementem feceris, ita metes". (Dom.). — 2. Rozbiór satyry Krasickiego „Pijaństwo". (Szk.). — 3. Myśli i uczucia na cmentarzu w Dzień Zaduszny. (Dom.) — 4. Spotkanie się Eneasza w podziemiu z ojcem

Anchizesem. (Na podstawie lektury łacińskiej. Szk.). — 5. Rozwinąć myśl zawartą w zdaniu: „Widzisz źdźbło w oku brata a w swojem tramu nie widzisz". (Dom.). — 6. Rozbiór „Farysa" Mickiewicza. (Szk.). — 7. Żywoty sławnych mężów są pobudką do cnoty. (Dom.). — 8. Znaczenie poezyi narodowej na podstawie pieśni Wajdeloty: „Kiedy zaraza Litwę ma uderzyć..." (Szk.). — 9. Ogień i woda w usługach człowieka. (Dom.). — 10. Improwizacya Konrada, jej podział, treść i znaczenie w 3. części „Dziadów". (Szk.). —

W VIII. klasie: 1. Rozwinąć i uzasadnić myśl zawartą w słowach: „Pamięcią wielkich w ojczyźnie ludzi dźwiga się naród, krzepi się duch". (Dom.). — 2. Charakterystyka Jacka Soplicy. (Szk.). — 3. Znaczenie morza Śródziemnego w dziejach starożytnych. (Dom.). — 4. Charakterystyka Miecznika z „Maryi" Malczewskiego. (Szk.). — 5. Czy i o ile mędrzec powinien się liczyć z opinią publiczną? (Na podstawie Platona Apologii Sokratesa. Dom.). — 6. Znaczenie Róży i Lilli Wenedy w utworze J. Słowackiego p. n. „Lilla Weneda". (Szk.). — 7. Homer i Wergiliusz. (Porównanie. Dom.). — 8. Cechy poezyi romantycznej na podstawie lektury Mickiewicza. (Szk.). — 9. Wykazać komiczność sytuacyi w jednej z komedyi A. Fredry. (Szk.). —

B. W języku niemieckim.

W V. klasie: 1. Bedeutung des Nilstromes für die Fruchtbarkeit des alten Ägyptens. (Dom.). — 2. Der Zauberlehrling. (Inhaltsangabe der Goetheschen Ballade. Szk.). — 3. Inhaltsangabe meiner deutschen Privatlectüre im September und October. (Dom.). — 4. Der Tod des Königs Romulus nach Livius. (Dom.). — 5. Die Schlacht bei Kunaxa. (Nach der Schullectüre. Szk.). — 6. Klearchos beschwichtigt die aufrührerischen Griechen. (Xen. Anab. 1, 3. Dom.). — 7. Die Feier der Panathenäen. (Nach der Schullectüre. Szk.). — 8. Die Thronbesteigung Tarquinius des Stolzen nach Livius. (Szk.) — 9. Inhaltsangabe des Gedichtes „Popas w Upicie" von Mickiewicz. (Dom.). — 10. Das Zeitalter des Pericles. (Dom.). — 11. Ein Frühlingstag. (Szk.). — 12. Auf welche Weise geht die Ernährung der Pflanzen vor sich? (Auf Grund der Schullectüre und des naturhistorischen Unterrichtes. Dom.). — 13. Hannibals Unterredung mit Scipio bei Zama. (Eine Erzählung nach dem dramatischen Fragment Grillparzers. Dom.). — 14. Was heiszt „Dem Leben lernen"? (Nach Herders Abhandlung. Szk.).

